



Continentur hoc volumine.

1. D. Conradi Horneij Disput. de
Poenitentia Lapsorum & Reimam.
qst. v. An fidelis et justificatus gratia Dei excidere
est per poenitentiam in eam. Inestitui posuit?
 2. D. C. Horneij Disp. de Fide et bonis operibus
& m. Latefman A. et X.
 3. D. C. Horneij Disput. De summa Fidei non
qualislibet sed que per caritatem operatur
necessitate ad Isallutem. & Tindor.
 4. D. C. Horneij Per brevis defensio prioris sue
disputationis.
 5. D. Joh. Gerhardi Sed sanguis boni hominis Noth,
ridendicitur in obsequiis. Gottlieb v. Gottlieb
dres sic eruditus deligitur p. olanger.
 6. Iohann Arndt M. Sed sanguis boni hominis affit
deligitur in obsequiis. Gottlieb v. Gaudib. L.
Deligitur p. olanger.
 7. Testimonia Recentiorum Ecclesiae Doctorum
quod Pietatis vita et bonorum operum à Dgo
praecitorum studium fidelibus ad salutem
necessarium sit.
 8. D. C. Horneij Herata assertio quā fidem non
quilibet seu otiosam aut mortuum, sed vivan
hic per caritatem operantem qd. salutem.
necessariam esse ostenditur, auct. Rothmalem d.
 9. D. C. Horneij A. Delagung Einr. Passvill
Iam noster deligitur eundem etiam M. fons idem d.
Zur eruditus Deligitur.
 10. D. Hülsemanni Disp. Theol. An bona opera di-
cenda sint, aut lansint ad salutem necessaria?
& Cantoneßiger.


94. 26

DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
DISTINCTIONE,
QUAM
JN ILL. ACAD. IVLIA
PUBLICE EXAMINANDAM
PROPONIT
M. CONRADVS HORNEIVS
BRVNSVICENSIS,
RESPONDENTE
IACOBO TELLERO
SVECO.

HABEBITVR ΣΤΝ ΘΕΩΝ
IPSIS KAL. APRIL.



HELMESTADI,
excudebat IACOBVS LVCIVS,
cIc Ic c XV.



PRAESTANTISSIMO
VIRTUTE ET DOCTRINA
VIRO
MATTHIAE OVERBE=
QVIO BELGÆ,
OPTIMORVM STVDIORVM
CVLTORI EXIMIO ET PATRONO
MVNIFICO,
THESES DE DISTINCTIONE
DEDICAT
CONRADVS HORNEIVS.



THESIS I.

Nobilis admodum doctrina est, & digna consideratione, ut quæquam alia, de distinctione: quam nunc ad disputationem breuiter proponere animus est.

II. Pertinet ea ad primam philosophiam, cuius propria est non minùs distinctionis & diuersitatis, quàm vnitatis & identitatis contemplatio.

III. Vocatur autem vulgò alio nomine non-identitas: sed id interest, quod non-identitas, vt terminus infinitus, etiam non-enti tribui possit, distinctio verò solis entibus conueniat: namq; & id quod nō est rectè dicitur non idem esse, at distinctum esse non dicitur, sicuti quoq; non-ens non-vnum rectè dicatur, neq; tamen multitudo ei tribui potest.

IV. Nos distinctionis voce potius utimur, quàm non-identitatis, cum aliam non-identitatem non consideremus nisi quæ in entibus est, aut certè in ijs, quæ quodam modo ad ens reduci queunt, quam solam & omnem dicit distinctio.

V. Et principio quidem, an sit distinctio non quærimus, neq; contra veteres Parmenidem & Melissum hīc disputamus, qui, quòd omnia vnum esse statuerint, distinctionem planè sustulisse videntur: nemo enim hodiè est qui de illo dubitet, & error iste veterum tam absurdus iam tum ab ^{1. Phys. c. 5.} ipso philosopho accuratè confutatus est.

VI. Neq; etiam quid sit distinctio explicationem operosam statim in initio requirit, cum natura eius rectissimè tum demum intelligatur, vbi omnes differentiæ distinctionum explicatae sunt: non enim ijs vniuocè sed secundū prius

A 2 & po-

& posterius competit: quod autem tale est, illius natura difficulter in genere, sed facile in speciebus cognosci potest.

VII. Quæ igitur & quot sint genera distinctionum accuratè explicandum est. Veteres, quos & Thomas sequitur, duo solum agnoscunt, distinctionem rationis siue rationalem, & realem: Scotus tertium addidit, distinctionem formalem: eius discipuli plæriq;, etsi non omnes, septem faciunt, distinctionem rationis, ex natura rei, formalem, realem, essentialiem, distinctionem se totis, ut barbarè vocant, subiectiuè, & deniq; distinctionem se totis obiectiuè, siue distinctionem eorum quæ totis subiectis, & eorum quæ totis obiectis differunt.

IX. Omnium harum distinctionum descriptiones nobis videndæ sunt.

XI. Realem dicunt veteres, qua quid distinguitur ut res à re, siue ita, ut duæ diuersæ res, propriè loquendo, ex distinctione oriantur: neq; aliter eadem à Scoto describitur, ut eum discipuli explicant, & ipse se, ubi distinctionem formalem proponit, eamq; à reali discriminat.

X. Rationalem autem non eandem faciunt: nam veteres distinctionem rationalem appellant omnem quæ non est realis, siue illa à solo mentis nostræ conceptu rei accidat, siue in re etiam ante omnem nostrum conceptum sit. Sic Aristoteles in physicis actionem, in ethicis virtutem & iustitiam vniuersalem, ratione tantum distinguiri docet, etsi illa non sola consideratione nostra differunt. Et idem istis locis Auerroës quoq; & Thomas tradunt.

XI. Estq; hinc quod Thomistæ duplarem faciunt distinctionem rationis, unam quæ est tantum à consideratione nostra, siue, ut loquuntur, à parte intellectus præcisè, re non respondente, & alteram, quæ est à parte intellectus & parte rei, cuius ea natura est, ut optima sit respondere inter-

dum

3. Phys. c. 3.
5. ethic. c. 1.

Iauell. lib.
12. q. 16.



dum distinctis, interdum etiam oppositis rationibus: illam vocant distinctionem rationalem rationis ratiocinantis, hanc rationis ratiocinatae vel ratiocinabilis.

XII. At Scotus distinctionem rationis passim vocat eam, qua quid solo conceptu & consideratione nostra distinguitur, siue qua diuersis tantum modis concipiendi idem obiectum formale apprehendimus, ita ut non sit in natura rei, sed in solo intellectus conceptu differentia.

XIII. Formalem verò dicit non distinctionem formarum, vel quæ est à formis diuersis aut oppositis, (vt aliâs appellatur distinctio formalis, & materiali opponitur) sed formalitatum siue realitatum, quarum vna ab alterâ ita differt, vt & ante omnem considerationem nostram idem non sint, neq; tamen distinguuntur, sicuti res propriè à re distinguuntur.

XIV. Est autem formalitas nihil aliud quām quiditas rei seu ratio quiditatiua, vt ea obijci intellectui & conceptum formale in intellectu gignere potest.

XV. Diuersa est illa distinctio tum à rationali tum à reali distinctione: à rationali quidem, quod etiam ante considerationem nostram in rebus est, & præcedit omnem actum intellectus: à reali verò, quod eâ non res à re, sed in re vna & eâdem realitas tantum à realitate, siue quiditas à quiditate distinguitur.

XVI. Aliud verò esse rem, si propriè vocabulum rei accipias, & aliud realitatem seu quiditatem, facile intelligitur, cum nulla res simplex è pluribus rebus componi queat, & tamen plures realitates seu quiditates habere possit, vt iam manifestum erit.

XVII. Sed hic ignorandum non est, dupliciter accipi posse formalem distinctionem, vt auctores sunt Steph. Brullif. epit. Bru-^{formal. in} lifer & Tataretus, in stricta & lata significatione: in stricta, Tataret. in

log. sub fin. p̄adicab. de distinctione earum tantum quidatum, quarum vna alteram formaliter non includit: in lata, de distinctione quarumcunq; quidatum, tām earum, quarum vna alteram includit formaliter, modō non adæquate, quām quarum vna alteram non includit.

Scot. I. d. 8. q. 4. XIIIX. Includere autem formaliter, est includere quippiam in ratione sua essentiali, ita vt si definitio includentis assignetur, inclusum sit vel definitionis pars, vel tota definitio eius, sicut homo includit animal, includit item nō rationale, & animal rationale, atq; omnis species suum genus & differentiam, adeoq; totam essentialē definitionem.

XIX. Includere adæquate est ita includere, vt neq; includens inclusō, neq; hoc illo latius pateat: cui contrarium est inadæquate includere. Sic homo adæquate includit animal rationale, sed inadæquate animal: animal enim rationale æquè latè patet atq; homo, & homo æquè latè atq; animal rationale: at animal latius patet: ad plura enim natura animalis, quām natura hominis, extenditur.
Id. report. d. 33. q. 2.

XX. Distinctio igitur formalis in stricta significatione est inter duas realitates, quarum vna non ingreditur definitionem alterius, si alterutrius aliqua definitio sit, vel si non sit, ingressura tamen non esset, vt vt esse definitio posset.

Ibid. I. d. 2. q. 7. & d. 8. q. 3. XXI. Hac distingui statuit Scotus in accidentibus realitatem, à qua notio generis accipitur à realitate, à qua accipiatur notio differentiæ specificæ: cum enim accidentia sint simplices formæ & ex diuersis rebus non componantur, realiter quidem diuersum in ijs nihil esse potest. Et tamen ante omnem conceptum nostrum reuera aliquid est in accidente, omnibus speciebus commune, & reuera item aliiquid vni tantum speciei competens: illud fit genus, hoc differentia: quæ vel planè idem non sunt etiam antequam à nobis

nobis concipientur, vel idem possit simul esse & non esse,
quod ab surdissimum est.

XXII. Eâdem distinguit passiones Entis ab Ente, intellectum à voluntate tum in Deo tum in creaturis, attributa item perfectionalia Dei inter se, & proprietates personarum ab essentia diuina: etsi enim nullum istorum omnium, exceptis tantùm intellectu ac voluntate, vt sunt in creaturis, definitur, ita tamen quiditas vnius se habet ad quiditatem alterius, vt, si possibile esset definiri quidquam eorum, vnum non ingressurum esset definitionem alterius: quod sufficere putat, vt formalis distinctio sit.

XXIII. Hoc tamen interesse monet, quod distinctio illa, quum est in creaturis, semper compositionem aliquam causet, non quidem rerum, sed tamen realitatum, quod nullo modo faciat quum Deo tribuitur, hic enim omnis omnino compositionis ex pers est.

XXIV. Distinctio verò formalis in lata significatione est inter quascunq; duas realitates, siue una earum alterius definitionem non ingrediatur, siue ingrediatur, modò non sit tota eius definitio. Hac distinguitur realitas generis à realitate speciei, & omne superius præcisè sumptum à suo inferiori, omnia item quæ altera illa formalis distinctione distinguuntur. Sic homo distinguitur ab animali, animal à corpore animato: etsi enim de essentia hominis est animal, & de essentia animalis corpus animatum, non tamen alterum ab altero adæquate includitur.

XXV. Hæc igitur est distinctio formalis, quæ quidem in stricta significatione passim legitur apud Scotum: in lata verò, eo loco, vbi de identitate adæquata & inadæquata disputat: ibi enim non tantùm quicquid non adæquate includit alterum, dicit distingui ab eo formaliter, sed formalem distinctionem vocat minimam omnium, quæ præcedunt

dunt intellectionem. At quorum vnum alterum includit, eorum distinctio minor est, quam eorum quorum vnum alterum non includit. Et tamen illa præcedit intellectionem: vel itaq; & ipsa est distinctio formalis, vel hæc non est omnium minima.

XXVI. Dicitur autem eadem aliâs distinctio ex naturâ rei, & interdum etiam realis, (sed latè accepto vocabulo realis pro omni eo quod non est ab actu intellectus considerantis,) ut discernatur à rationali: realis verò secundum quid, (accepto vocabulo realis strictè) ut à reali discernatur.

XXVII. Cæterùm qui ex Scotistis septem genera distinctionum faciunt, definiunt distinctionem rationalem quod sit ea, quâ quid distinguitur præcisè per actum intellectus collatum, ut Socrates à semetipso distinguitur ratione in enunciatione ista: *Socrates est Socrates*.

XXIX. Dicunt per actum collatum, ad differentiam actus recti: duplarem enim faciunt actum intellectus, rectum & collatum. Actum rectum appellant, quo simpliciter & directè super rem aliquam intellectus fertur, ut quum equum, rosam, vel tale quid intelligit. Collatum, quo rem iam intellectam confert siue comparat, vel cum semetipsa vel cum alia, ut facit cum notiones secundas primis imponit.

XXX. Addunt, præcisè per actum illum distingui quod ratione distinguitur: quia enim actus collatius semper aliquid distinguit, sit ut interdum distinctioni ei respondeat etiam in re ipsa distinctio aliqua, interdum nulla respondeat: ac proindè, ut sit distinctio rationalis, præscindi volunt distinctionem quam intellectus facit ab ea quæ in re ipsa est, non complicari utramque, ut sit à Thomæ discipulis.

XXX. Distinctionem ex natura rei appellant, quæ est inter

Srect. for-
mal. c de
dist. ret.

inter duo quæcunq; extrema, de quibus contradictoria prædicata præter omne opus intellectus vera sunt.

XXXI. Hac distinguunt definitionem & definitum, si accipientur termini illi pro notionibus primis non secundis, totum metaphysicum à suis partibus, superius ab inferiori, & modum etiam intrinsecum rei ab eo cuius modus est: de istis enim omnibus dicunt contradictoria vera esse citra omnem considerationem nostram: de definitione quidem & partibus metaphysicis, quod sint reuera aliquid constitutus, definitum autem & totum metaphysicum non constitutus sed constitutum: de superiore verò, quod suâ naturâ sit aliquid communicabile inferioribus, inferius non communicabile, & deniq; quod res quæ modum habet, sit quiditas, modus autem quiditas non sit.

XXXII. Sed hic sciendum est quid dicatur totum metaphysicum & quid modus intrinsecus. Totum metaphysicum vocant quod ex genere & differētia constat, ut homo ex animali & rationali. Vbi nota aliud esse totum physicum, quod ex materia & forma componitur, ut homo ex anima & corpore: huius enim partes sunt res, & realiter à toto suo differunt, cum partes metaphysicæ realitates tantum sint.

XXXIII. Modum verò intrinsecum vulgo definiunt, quod sit is qui rei additus non variat eius rationem formalem, siue non addit ei realitatem vel quiditatem aliam: id enim est non variare rationem formalem, ut hīc accipitur.

XXXIV. Is neq; res est propriè, neq; realitas siue quiditas, cum omnis quiditas rei vel realitati addita nouam rem constituat, atq; ideo rationem formalem eius cui additur variet. Et tamen ita intrinsecè rem afficit, vt sine illa neq; esse neq; concipi possit: hac enim de causa intrinsecus dicitur.

XXXV. Tales modos dicunt esse in Ente actum & potentiam, necessitatem & contingentiam, existentiam, in primo Ente infinitatem, in ceteris finitatem, in qualitatibus gradus intensionis & remissionis.

XXXVI. Idem enim numero calor multos gradus habet, qui certè plures res non sunt, aliâs simplex forma accidentalis composita sit: neq; plures quiditates: ita enim calor in primo gradu aliam quiditatem habeat, quâm idem numero calor in secundo gradu, & calor in secundo gradu aliam, quâm idem numero calor tertij gradus, & denique cum forma, quæ per motum acquiritur, in infinitum diuisibilis sit, infinitorumq; graduum esse possit, futurum sit, ut idem numero accidens infinitas quiditates habeat: quod absurdum est.

XXXVII. Porrò distinctionem formalem vocant eam, quam supra diximus esse distinctionem formalem in stricta significatione: eodem enim modo ab ipsis describitur.

XXXIX. Realem quoq; aliam non agnoscent, quâm quæ est inter ea quæ sunt res & res. Illa autem rem & rem esse dicunt, quorum, vel vnum potest sine contradictione separari ab altero, ita ut alterutro intereunte non intereat quoq; alterum, vel vnum est causa per se alterius, vel vnum est generans alterum est genitum, vel deniq; quæ sunt in realiter distinctis.

XXXIX. Distinctio verò essentialis nihil differt à reali, nisi quod illa in solis creaturis sit, hæc in Deo etiam reperiatur: quæcunq; enim in creaturis realiter distinguuntur ea omnia essentias quoq; diuersas habent: at in summo mysterio S. Trinitatis, de quo nos fides docet, realiter distinguuntur tres personæ, & tamen earum vna & eadem numero essentia est.

XL. Distinctionem se totis subiectiuè vocant, qua distin-

stinguuntur quæ in vno subiecto non conueniunt. In vno autem subiecto non conueniunt, vel quæ non in eodem supposito existunt, vt calor qui est in corpore Petri non existit in corpore Pauli, vel quæ non conueniunt in realitate aliqua per aliam realitatem, vt loquuntur, contrahibili, & per consequens ad vnum prædicamentum non pertinent. Ita Deus & creatura non conueniunt in eodem subiecto, quia etsi in Entis conceptu conueniunt, tamen ille conceptus, vt est Deo & creaturis communis, non contrahitur per realitatem aliquam, sed tantum per modos intrinsecos.

XLI. Distinctio deniq; se totis obiectiuè est, qua distinguunt quæ in nullo conceptu reali quiditatuo conuenire illi cum præceptore suo statuunt. Sunt autem differentiæ vltimæ & passiones entis.

XLII. Differentias vltimas vocant, per quas quid primo diuersum est : conceptum verò quiditatuum conceptum qui *in quid* prædicatur & qualitatuo contradistinguitur. Dico quod contradistinguitur qualitatuo, ne vocabulum quiditatis latius, quam hic fieri debet, extendatur : aliâs enim etiam differentia specifica quiditatem rei constituit, quæ tamen *in quale* prædicatur, & conceptus eius qualitatius dicitur.

XLIII. Huiusmodi est conceptus Generis in ijs quæ Genus aliquod habent, & conceptus qui huic respondet siue similis est in cæteris : neq; enim solus conceptus Generis *in quid* prædicatur, vt neq; solus conceptus differentiæ *in quale* : nam de Deo Ens prædicatur *in quid*, neq; tamen Deus in Genere est, vel Genus habet.

XLIV. Vltimas autem differentias non conuenire in conceptu quiditatuo ita probat Scotus, & ex eo eius discipuli : si conuenirent, inquaiunt, vtiq; non essent primò diuersa: nam per id quo conueniunt, differre non possint: dif-

ferant itaq; oportet per alia, quæ sint præter illud communne vtriq;, atq; ita non ipsæ differentiæ, sed aliqua earum primò diuersa sint. At hoc est contra hypothesin: differentiæ enim vltimæ primò diuersæ sunt, cum indè vltimæ dictæ sint, quod omnis differentia in eas vltimò resoluatur.

X L V. Nullus itaq; conceptus quiditatius communis est differentijs vltimis secundum Scotum & Scotti sectatores, & ne quidem conceptus quiditatius ipsius Entis, etsi huic virtualiter eas includi dicit Scotus, & Scotistæ non quiditatiuè quidem, sed tamen denominatiuè Ens de ijs prædicari statuunt.

X L VI. Idem de passionibus Entis sentiunt, & Scotus id indè probat, quod omnes passiones propriæ de subiecto suo prædicentur secundo modo dicendi per se, ut in logicis lib. I. post. traditur, ac proindè subiectum cadat in definitiō nem & rationem passionis ut aliquid additū. *At, inquit, si ens cadit in ratione earum ut additum, ergo non est per se primo modo in ratione quiditatiua earum.* Ut itaq; de nulla alia propria passione subiectum prædicatur *in quid*, sic & de Entis passionibus, quia reuera sint propriæ passiones, Ens non prædicari conceptu quiditatiuo Scotus adserit.

X L VII. Hanc igitur vocant distinctionem eorum quæ totis obiectis differunt: & tantum esto de distinctionum generibus quæ faciunt Scotistæ: de quibus tamen id adhuc sciendum est, ita illa ab ipsis inter se discerni, ut nihilominus plerumq; ex posteriore prius inferatur. Sic quæ ex natura rei distinguuntur, ea secundum ipsos distinguuntur etiam ratione, & quæ formaliter, illa etiam ex natura ei, & ita deinceps, quanquam de vltimo & antepenultimo id fieri non potest: neq; enim quæ se totis obiectiuè distinguuntur, ea realiter quoq; distincta sunt.

X L I X. Sed huc usq; descripsimus & explicauimus gene-

genera distinctionum, quæ supra enumerata sunt, ut describi & explicari ea ab auctoribus suis solent, in quo si longiores fuimus, non abs re id fecimus: nunc quæ nos ex ijs omnibus vera putemus, & quid in vniuersum de differentijs distinctionum statuendum videatur, exponamus.

XLIX. Hoc autem vt ordine fiat, tria præmittimus: vnum est, repetendum hic esse illud, cuius statim in initio disputationis meminimus, *agi nobis non de omni non-identitate, sed de ea tantum quæ in Entibus est, sive Entibus competit, & propriè distinctio vocatur*: Entis enim affectio explicanda est.

L. Ne quis hic expectet distinctionem qua Ens à non-Ente, habitus à priuatione, vel Ens reale ab Ente rationis, vel deniq; aggregatum ex Ente reali & rationis ab Ente rationis, aut aggregato alio simili, distinguatur: nam hæc talia etsi, vt diximus, idem non sunt, propriè tamen distingui dici non possunt.

LI. Vnde error Scotistarum & Ochami notatur, quum vtriq; de distinctione Entis realis & rationalis disputant, Ochamus verò etiam de distinctione aggregatorum ex Ente rationis & reali solicitus est. 1 d. 2. q. 3.

LII. Alterum est, *diligentissimè discernendum esse inter ea quæ sunt ipsa genera distinctionum, & quæ sunt tantum quasi species quædam illorum generum*: ni enim fiat, rectè assignari numerum distinctionum non posse manifestum est.

LIII. Quæ res neglecta imposuit & ipsa Scotti discipulis, & tantam illis turbam distinctionum peperit, improbatam pridem etiam Tatareto & Brulifero: nam cum promiscuè genera & species distinctionum in vnum censum ipfis veniant, non potest aliter fieri quin iusto maior numerus inde efficiatur. Adde quod absurdè præterea fiat, si, vbi genera enumeranda sunt, species quoq; eadem serie recenseantur, & generi suo contradistinguantur.

LIV. Ita essentialis distinctio species alicuius generis distinctionum, non peculiare genus est, cum omnis essentialis distinctio realis sit, quod nec ipsi negant: neq; minus etiam omnis distinctio eorum quæ totis subiectis differunt, vel realis, vel saltem ex natura rei est, & omnis insuper eorum quæ totis obiectis, est formalis: formalis autem sub ea quæ est ex natura rei comprehenditur. Quod cum ita sit, qui quæso reali additur essentialis vt nouum aliquod & diuersum ab ea genus, qui item cæteræ tum eidem, tum distinctioni ex natura rei vel formali, cum ad eas illa quoq; utraq; pertineat?

LV. Tertium est, *describenda esse omnia genera distinctionum eo modo, vt unum eorum alterum non inferat*, id est, ne si unum in re aliqua constituatur, constituendum sit & alterum, sed vt contrà, posito uno certus sis, alterum remouendum esse: nam alioquin diuersa genera esse nequeunt.

LVI. Hic tertium peccant Scotistæ, quod notarunt iijdem, quos & numerum distinctionum improbare iam diximus: statuunt enim illi non quidem quodvis distinctionum genus à quo quis inferri, sed tamen posterius à priore, vt superius expositum est. Id autem rectè non fieri, facile patet: vt enim nemo sanus ferat, si quis statuat diuersa quidem genera corporis animati esse, plantam & animal, & idem tamen contendat omne animal plantam esse, ita ecquis ferat, si aliud genus distinctionum faciamus, quo quid ratione, & aliud quo quid realiter distinguatur, & tamen asseramus, quicquid realiter distinguitur, idem ratione quoq; distingui, ut Scotistæ faciunt.

LVII. Atq; hæc ita se habent: quæ consideranda hic initio sunt: vnde tum alia manifesta erunt in progressu, tum id iam constat, ex omnibus distinctionum generibus suprà recensitis vera genera non esse plura quam tria, distinctiones rationis, ex natura rei & realem.

68. His

LIX. His præmissis, quod instituimus aggrediamur. Et primò quidem certum esse putamus, omnem distinctionem, quæcunq; rebus tribuj potest, competere ijs vel à solo conceptu & consideratione intellectus, ita vt non sit, nisi intellectus rem concipiatur, vel à rerum ipsarum natura, vt sit, etiam si intellectus rem non concipiatur: siue, vt adhuc clariùs dicam, omnes res quæ distinctione dici possunt, vel ideo distinctas dicimus, quod tantum distinctione eas concipimus, vel quia etiam re ipsa distinctione sunt, & essent, licet distinctione non conciperentur.

LX. Medium hīc nihil esse potest, cum contradictrione opposantur membra diuisionis: *esse enim distinctum licet intellectu non concipiatur, &c., non esse distinctum si intellectu non concipiatur, vtiq; contradictoria sunt.*

LX. Quæ à sola consideratione est rectè dicitur rationalis, quæ à natura rei, realis in lata significatione, vel quia plerumq; reale in stricta significatione accipimus, distinctione ex natura rei commodissimè vocatur.

LXI. Sed cautio tamen hīc quoq; adhibenda est, vt diccas *ex natura rei* nihil aliud, quam quod nos iam iam diximus, illud scilicet, quod rei inest etiam tum cum intellectus eam non considerat: alias *ex natura rei* dicitur omne cuius caussa est quodam modo rei natura, licet id in ipsa re non sit. Sic à natura rei esse dicunt quod primum & summum Ens ab intellectu creato imperfectè cognoscatur: naturam enim Entis summi in caussa esse, quare imperfecta sit cognitio illa. Neq; tamen in ipso illo summo Ente est imperfectio.

LXII. A natura igitur vel ex natura rei alio modo est, quod tamen sine intellectus consideratione non est, & alio modo, quod propterea dicitur à natura rei esse, quia est absq; consideratione intellectus. Posteriori, non priori si-
gnifi-

gnificatione nos intellectum volumus, cum distingui aliquid ex natura rei dicimus.

LXIII. Ethoc obseruari debet propter distinctionem rationalem rationis ratiocinabilis, quam Thomistæ dicunt non esse in re sine intellectus consideratione, & tamen à natura & parte rei esse: si enim, quod dicunt, in posteriori significatione accipient, contradic̄tio inuoluitur: si verò in priori, iam simul consistere possunt, esse distinctionem non nisi cum rem intellectus considerat, & tamen à natura rei esse: sàpè enim occasionem distinguendi, imò & necessitatem præbet natura rei, & in ipsa tamen consideratione propriè est distinctio.

LXIV. Est autem hæc diuisio distinctionis, si tamen diuisio dicenda est, cæterarum omnium prima: competit quippe distinctioni non tantum quæ reuera est in Ente, sed quæcunq; Enti tribui potest. Ante omnia verò obseruari debet, aliâs confuderis quæ sunt diuersissima, & vniuersam doctrinam distinctionum turbaueris: nam certè diuersissima sunt id quod in re ipsa est à natura rei, & quod rei solùm tribuitur, siue inesse dicitur quia ei tribuitur: alterum enim per se rei inest, alterum inest tantum per accidens.

LXV. Primò omnium itaq; discernendum accuratè est inter distinctionem ex natura rei & rationalem, & quia res ipsæ discernendæ, minimè quoq; nomina earum commiscenda sunt, quod rerum ipsarum confusionem secum trahere, nobis etiam sàpè non animaduertentibus, vsu venit.

LXVI. Quare neq; nomen distinctionis ex natura rei distinctioni vlli rationali, neq; contrà nomen distinctionis rationalis distinctioni alicui ex natura rei tribuendum est, sed, si eam vocas ex natura rei, vt nos, quæ est in re, etiam cum res ab intellectu non concipitur, nulla dicenda erit ex natura rei, quæ non est in re ante quā ab intellectu consideretur,

deretur, & deinde, si rationalem quoq; illam dicis, quæ à solo conceptu intellectus est, nulla in numerum rationarium admittenda, quæ sine consideratione intellectus in re est, vel esse potest.

LXVII. Malè igitur Thomistæ distinctionem rationis ratiocinabilis dicunt non esse tantum ex parte intellectus, sed etiam ex parte rei, & in re inchoari, compleri autem per opus intellectus, cum & rationalis ea sit, & ante considerationem intellectus nulla sit: quamuis enim occasio & potentia sit in re, ut distinctis conceptibus percipiatur, & quamuis item sit, quod distinctis illis conceptibus in re ipsa respondeat, tamen quia non necesse est ea propter rem ipsam in sua natura distinctam esse, neq; etiam distincta est, ijs locutionibus abstinentendum erat, quæ id quod rationale tantum est cum eo, quod verè ex natura rei est, confundere faciunt.

LXIX. Veteres etiam non satis accuratè locuti sunt: ut enim Thomistæ ea dicunt ex parte rei esse, quæ tamen tantum à ratione sunt, ita illi contrà multa quæ in ipsa rei natura distincta sunt, ratione tantum distincta vocarunt, sicut supra diximus.

LXXI. Rectè autem Scotus, qui primus omnium rationalem distinctionem eam tantum dixit, quæ à sola consideratione intellectus est, siue qua diuersis tantum conceptibus idem obiectum formale apprehendimus: qua in re ipsum perspicuitati consuluisse etiam P. Fonseca testatur.

LXX. Quamobrem id iam constitutum nobis esto, quum de generis distinctionis quæritur, primò omnium videntum esse, an ex natura rei, an rationalis distinctio sit, & quām diligentissimè inter illa duo discernendum: alias enim fieri non potest, quin in ipso limine hīc impingatur.

LXXI. Verūm non sufficit, vt solūm sciamus discer-

C nen-

nendum inter illa esse, nisi norimus præterea, quomodo dis-
cerni rectè possint, sine vnde certò iudicare queas, quæ ex
natura rei, quæ rationalis distinctio sit.

LXXII. Hoc autem omnium optimè eo indicio fieri
potest, quod à natura primi principij & contradictoriè op-
positorum sumitur: nam cum fieri non possit, vt de vna &
eadem re contradictionia simul vera sint, fieri quoq; nequit,
vt res illa sit vna & eadem, de qua contradictionia verè di-
cuntur. De quibus igitur, vt sunt extra intellectum & con-
siderationem nostram, vera sunt contradictionia, ea necesse
est etiam extra intellectum distincta esse: extra intellectum
autem nihil distinctum est, nisi in quo est realis distinctio.

LXXIII. ^{2. d. I. q. 4.} Eo modo Scotus docuit dignoscere realem
distinctiōnēm à distinctione rationali: & ipse Aristot. passim
hac nota vtitur, quum quid reuera distinctum esse proba-
turus est. Sic in physicis materiam à forma distingui inde
ostendit, quod in generatione materia vna & eadem ma-
neat, forma non maneat, & locum item à locato, quod lo-
cus sāpē fit idem, cum locata tamē alia & alia sint.

LXXIV. Et certè res manifesta est, non posse ei quod
in sua natura planè vnum & idem est duo contradictionia
prædicata simul verè tribui: esse enim & non esse dicunt. At
primum principium negat idem posse simul esse & non esse.
Quare hoc faluo sicut fieri non potest, vt termini contradic-
torij cum veritate tribuantur rei, quæ vna & eadem est, ita
quoq; fieri nequit, vt res illa vna & eadem sit, cui contradic-
torij termini verè tribui possunt.

LXXV. Quæ cum tam vera sint, vt qui negare quid-
quam eorum velit, idem vim faciat primo omnis nostræ
cognitionis principio, facile patet, fallere non posse mo-
dum dignoscendi distinctionem ex natura rei à rationali,
quem exposuimus.

66. Verūm

LXXVI. Verum enim verò vult hæc ita se habeant,
sunt tamen qui hīc inpegerunt. Ex his est P. Soncinas, Ia-
uellus & Thomistæ alij: statuunt enim duo prædicata con-
tradictoria simul verè dici posse etiam de ijs quæ sola ra-
tione distincta sunt: nam hoc est quod dicunt distinctionem
rationalem sufficere ad tollendam contradictionem.

LXXVII. Etsi enim Iauellus id non de omni distin-
ctione rationali adserit, sed de ea in qua præter distinctio-
nem conceptuum sit in re ipsa quoq; virtuale aliquid &, ut
vocat, èquipollens actuali distinctioni: tamen id perinde est:
nam virtuale illud vel èquipollens actuali distinctioni aut est
actualis distinctio, & ita distinctio illa non est rationalis, aut
nihil est aliud, quam potentia vel occasio quæ est in re ut di-
stinctè concipiatur: potentia autem vel occasio ad distin-
ctionem distinctio non est.

LXXIX. Argumenta verò quibus tam ipse quam
Soncinas vtuntur nullius momenti sunt, & profecto indi-
gna tantis philosophis: omnia enim hucredeūt I. quod con-
tradictio sit Ens rationis & contradicere opus intellectus,
quodq; propterea intellectus qui faciat contradictionem
possit eandem distinctione aliqua rationali rursus tollere, II.
quod conceptui intellectus semper respondeat aliquid rei,
& III. quod distinctio illa rationalis super eminentia perfe-
ctionis diuinæ fundetur.

LXXXIX. Indigna, inquam, tantis philosophis: nam
prīmò ignorare non potuerunt, sicut non pendet ab intel-
lectu nostro veritas & falsitas enunciationis, ita quoq; ab
eo non esse, quod contradictoriæ duæ simul veræ vel simul
falsæ esse nequeant, vtut tum ipsæ enunciationes, tum enun-
ciationum oppositio opus intellectus sit. Deinde id quoq;
sciuerunt, posse quidquam distinctè concipi & conceptui
respondere aliquid in re, neq; tamen propterea distinctio-

C 2 ni, quæ

ni, quæ est in intellectu, respondere distinctionem in re, cum longè aliud sit rem distinctè concipere, & concipere, quod res distincta sit. Ita intellectus quiditatem rei separatim concipit sine re cuius est quiditas, & est quod conceptui intellectus in re ipsa respondeat, & tamen quiditas rei à re separata extra intellectum non est. Tertiò deniq; non minus & illud manifestum est, quamvis infinita sit perfectio primi Entis, & tanta ut à nulla creatura capi satis possit, tamen contradictoria de Deo dici non posse: hæc enim si secundum idem dicantur, semper mendacium inuoluunt.

XXC. Non itaq; hæc argumenta efficiunt, posse contradictoria prædicata rei simul verè tribui, quæ sola ratione distincta sit: & ratum manet, omnem rem, cui contradictoria prædicata simul verè competunt, plusquam ratione distinctam esse.

XXCI. Quare certum indicium illud est quo distinctio ex natura rei arguatur, si, vt diximus, duo prædicata contradictoria simul rei, ut est extra intellectum, verè competent. Rei, inquam, ut est extra intellectum: nam id obseruari quoq; hinc accurate debet, quid rei insit ut est extra intellectum, & quomodo se habeat cum ab intellectu apprehenditur: fieri enim potest, nisi hoc notaris, vt illud putas verum esse de re, quomodo est extra intellectum & in sua natura, quod tamen verum tantum de eadem est, ut à nobis concipi potest.

XXCII. Et hactenus diximus quid sit distinctio ex natura rei & rationalis, & quo modo rectè discernantur: nunc vtriusq; proximas species videamus.

XXCIII. Potest autem rationalis distribui in duas species: uno enim modo ratione distinguitur quippiam, quum non est occasio distinctionis in re, sicut Socrates à semetipso ratione distinguitur. Altero modo, cum occasio est in re,

qua

qua ratione in calore vim exsiccantem lutum ab ea quæ humectat ceram distinguimus.

XXCIV. Hæc diuisio distinctionis rationalis eadem sit cum illa vulgata, qua diuiditur in distinctionem rationis ratiocinantis & rationis ratiocinatæ, si ita explicetur, ut eam Fr. Suarez explicat, & docet explicandam esse, siquidem distinctionis rationalis esse debeat: quanquam ita non explicatur ab ijs, quos auctores habet, ut supra patuit. disp. 7. s. 1.
p. 4.

XXCV. Obiter hoc loco notandum est, cum distinctio rationalis omnis sit in sola consideratione intellectus, esse eam præcisè in ipsis conceptibus, cumq; conceptus alij sint primi, alij secundi, non tantum secundorum sed & primorum esse distinctionem rationalem: nam cum distinctis conceptibus percipitur vis exsiccans & humectans in calore, distinctio, ut diximus, rationalis est, & tamen isti conceptus non secundi sed primi sunt. Sin verò Socratem à semetipso distinguas, conceptus quos distinctos intellectus sibi format secundi sunt: semel enim ut subiectum & semel ut prædicatum Socratem concipit, vel alias ei notiones secundas imponit. Tantum est de distinctione rationali.

XXCVI. Distinctio ex natura rei triplex constitui potest: vel enim quæ ex natura rei distinguuntur, ita distincta sunt, vt sint plures res strictè accipiendo vocabulum rei, vel ita vt non sint plures sed unares, & tamen ea quæ distinguuntur quiditatem rei dicant, vel deniq; ita, vt neq; sint plures res, neq; utrumq; eorum quæ distincta sunt quiditatem dicat, sed unum sit res vel quiditas & alterum modus intrinsecus rei vel quiditatis. Prima realis, altera formalis, tertia modalis vocabitur.

XXCVII. Esse autem aliud rem propriè loquendo & aliud quod tantum dicit quiditatem, supra rectè ostensum fuit: & uno exemplo manifestius adhuc erit. Motus est res thes. 16. &
21.

eaq; simplex, cum sit forma accidentalis, & tamen in motu est actio & passio, quorum utrumque quiditatem dicit: si enim queratur, quid sit motus, recte respondetur, actio, vel passio. Non igitur actio & passio sunt res stricte loquendo & ea ratione qua motus, aliás accidens & simplex forma ex pluribus rebus esset composita: quod absurdum est. Quare quiditatem dicunt, sed res non sunt in stricta significatione.

scil. 33. 34.
3.36.

XXXVIII. Modum quoque intrinsecum esse aliud à re propriè dicta, & eo quod quiditatem dicit supra probatum est: nam recte illa omnia dicta putamus de modo intrinseco, sed in solis creaturis eum inueniri statuimus, quae etiam Suarezij sententia est.

XXXIX. Realis itaque distinctio in stricta significatione est, qua distinguuntur ea quae plures res sunt propriè loquendo, ut Petrus à Paullo, equus ab homine distinguuntur. Solet aliás describi, quod sit inter rem & rem, siue quae sit qua quid distinguatur ut res à re distinguitur: sed illa nostra descriptio commodior & verior esse videtur.

th.38.

X C. Verum hic iam queritur, quænam sint dicendæ plures res stricta illa significatione: id enim nisi constet, constare quoque non potest quid realiter distinctum sit. Quare multi multa: Suarezius putat non posse unam aliquam notam inueniri. Nos quoque ea omnia coniungenda censemus quae Scotistæ coniungunt, quum ostendunt quae sint res & res: non quidem quod omnes conditiones simul requiri existimemus, sed quod una earum opus sit alibi, & alibi altera.

XCI. Quorum igitur unum constat separari posse reuera ab altero, ita ut alterutro intereunte non intereat quoque alterum, vel unum est causa per se alterius, vel unum est generans & alterum genitum, vel aliás (ut hoc addamus) unum simpliciter est producens & alterum productum, vel denique

deniq; quæ in realiter distinctis, illa plures res esse censendæ sunt. Et hæc est realis distinctio.

XCI I. Formalem describimus quod sit qua distinguuntur ea quæ non sunt plures res, sed tamen quiditatem dicunt. Differt à reali, quod quæ hac distinguuntur non sint plures res, à modali, quod quiditates sint vel quiditatem dicant.

XCI II. Est hæc eadem cum illa formalis distinctione Scoti, quæ in lata significatione ita dicitur & supra explica-^{th. 24.} ta est, nisi quod paullò aliter à nobis describitur, quia eā nontantum quiditates vel formalitates inter se, sed etiam quiditatem à re distingui existimamus.

XCI IV. Hac distinguitur natura generis à natura speciei, & differentiæ specificæ, siue ut vno verbo dicam, omnia quorum vnum ab altero essentialiter includitur, quiditates item aliæ, & quæcunq; plures res dici non possunt, & quiditatem nihilominus dicunt.

XCV. Sic animal ab homine, animalitas à rationalitate, Ens à substantia, actio à passione distinguitur: neq; enim animal & homo plures res sunt vel realiter differunt, neq; animalitas & rationalitas, neq; Ens & substantia, neq; actio & passio: & tamen omnia quiditatem dicunt, ut modalis distinctione non sit, multò minus ut ratione tantum differant.

XCVI. Non enim accedimus hīc Suarezio, qui ut tollat formalem distinctionem, (nullam enim aliam agnoscit præter rationalem quam realem & modalē) adserit, animal ab homine, & similia, ratione tantum distingui: dicit enim communem illam & vniuersalem naturam à solo conceptu nostro esse: quo modo tollit omne vniuersale: si enim vniuersalia tantum à conceptu nostro sunt, reuera non sunt sed concipiuntur solum: quod cum dicit, in absurdam Nominalium opinionem incidit.

97. Postre-

... 7. f. 1. p. 5.
& f. 2. p. 4.

XCVII. Postremò modalis distinctione est, qua distinguitur modus intrinsecus à re vel quiditate cuius mod' est. Hac in rebus creatis essentia & existentia, vno materiæ & formæ à materia vel forma, gradus qualitatis à qualitate distinguitur. Cuius distinctionis ratio facilè intelligitur, si intelligatur quid modus intrinsecus sit. Diuersa autem est à reali & formalí, cum res & quiditas vna & eadem sit vbi tamen modus alijs atq; alijs est.

XCIIX. Ethæc sunt genera, ad quæ omnis distinctione referri potest: plura non sunt: nam si quis aliud adhuc constituere velit, fortè quo modus à modo distinguatur, id superuacuum esse facilè deprehendetur: cum enim modus quiditatē ipse non dicat, sed pertineat ad quiditatē eius cuius est modus, ut distinguuntur ea quorum modi sunt, ita modi ipsi quoq; distincti sunt. Sic existentia Socratis ab existentia Paulli realiter distincta est, quia Socrates & Paullus realiter distinguuntur: at existentia animalitatis ab existentia humanitatis in uno & eodem Paullo formaliter tantum differt.

XCIIX. Hancigitur censemus esse veram sententiam de generibus distinctionum. Neq; nos tantum hoc modo ea numeramus, sed totidem & eadem Tataretus facit, ne nouum quid adferri putetur. Breuiter autem rem totam exposuimus, cum multa iam supra explicata sint, quæ huic referri debent.

C. Reliquum nunc erat, ut propositis & confirmatis ijs quæ vera esse putamus, ostenderemus, quid & vbi ab alijs erratum esset. Sed id angustia loci nosvetat, & præcipua iam notata sunt. Vnum adhuc addimus, distinctionem inter definitionem & definitum nō esse ex natura rei, vt Scotistæ statuunt, sed merè rationalem. Neq; enim plusquam rationalem eam esse vel illi rectè probant, vel ipse Scotus, qui in eadem opinione esse videtur. Et tantum est de distinctione.

COROLLARIUM.

Inlectione Aristot. obseruandum est, quemadmodum differre τὸ λόγῳ non semper de rationali distinctione dicitur, ita etiam differre τὸ εἶναι sapè non de reali sed de rationali vel formalī intelligendum esse. Eins rei manifesta exempla sunt phys. s. t. 46. 1. de gen. t. 41. eth. s. t. 15. & 6. t. 72.

F I N I S.

Loco cit.

th. 21

th. 31

i. d. 2. q. 2.



D1 A 6520

ULB Halle
002 937 220

3



VD 17

Farbkarte #13



B.I.G.

DISPV TATIO METAPHYSICA

DE

DISTINCTIONE,

QVAM

JN ILL. ACAD. IVLIA

PUBLICE EXAMINANDAM
PROPONIT

M. CONRADVS HORNEIVS
BRVNSVICENSIS,

RESPONDENTE
IACOBO TELLERO
SVECO.

HABEBITVR ΣΤΝ ΘΕΩ
IPSIS KAL. APRIL.



HELMAESTADI,
excudebat IACOBVS LVCIVS,

cic cic XV.

18

